



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. De Lingonibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

## N V M. 3. De Boiis.

**NOMEN & ORIGO.** Boiorum in Galliâ Transalpinâ meminisse Cæsar, & vulgò creduntur incoluisse *le Bourbonois*: iunctique Lingonibus Tuscos expulerunt post Olymp. 64. an. 3. vt præmonuimus; & hæserunt in Italiâ donec à Romanis expulsi sunt, vel exterminati. De bellis Romanorum cum Boiis sæpe Polybius, & Liuius: vltimum legitur apud Liuium lib. 36. quando à P. Cornelio Nasica victi sunt, eodem Cornelio & M. Acilio Glabrione Coss. tumque dimidiâ agri parte multati. Tandem eiecti sunt ex Italiâ vt tradunt Polybius & Strabo; sed modum, & tempus non explicant.

**FINES.** *Ab Occidente* Taro Fl. separabantur ab Anamanis; *Idice Fl. à Lingonibus ab Oriente*; *Apennino à Meridie à Liguri-* bus; *à Septentrione* denique Pado à Cenomanis, & Venetis.

## N V M. 4. De Lingonibus.

**NOMEN & ORIGO.** Dicti sunt à Lingonibus Gallis quorum vrbs Andomatunum *Langres*. Ita cum Boiis coniuncti sunt, vt vnâ gentem conflasse videantur; quare Polybius lib. 2. Boios Senonibus conterminos videtur statuisse; nihilominus saltem sub initium discreti erant.

**FINES.** *Ab Occidente* Idice Fl. diuidebantur à Boiis; *à Meridie* Apennino monte, à Tuscis; *ab Oriente* Vtente Fl. *Montone*; denique *à Septentrione* Pado Fl. à Venetis.

## N V M. 5. De Senonibus.

**NOMEN & ORIGO.** Straboni Σένορες & Σάνορες dicuntur; Ptolemæo Σένορες; Polybio Σήνορες; Diodoro Σέννορες. Orti sunt à Senonibus Gallis *ceux de Sens en Bourgogne*, & ab iis dicta Sena Gallica *Senigaglia*, vltimique omnium Gallorum, vt præmonuimus, Alpes transgressi sunt.

**LOCVS & REGIO.** Vbi autem habitarent primùm, non satis inter scriptores liquet. Liuius enim lib. 5. conluisse ait in eo tractu qui extenditur inter fluuios Vtentem *Montone*, & Æsim *Esino*. At